Maria Seraphica, Cherubica, Angelica, atque adeo immunis ab omni culpa.

continenter: *Aſpice in cœlum, & videbis Mariam Seraphicam, ſuper quam Deus voluit ſedere. Aſpice in cœlum, & videbis Mariam Cherubicam, quam Deus voluit virtutibus & meritis ſuper omnes creaturas fulgere. Aſpice in Deum, & videbis Mariam Angelicam, quam Dominus voluit cunctis ſubvenire. O Maria tu candoris & decoris forma, cui in terris non eſt æqualis, nec in cæli janua.* Cum Angelis Deiparam confert, maximè Seraphinis, & Cherubinis; & niſi fallor, cum illis, qui Seraphicum Thronum Iſaiæ oſtenſum ornabant; & cum illis, qui Cherubicum Ezechielis currum agebant: utriſque Angelorum ſupremis Mariam ſupparem, imò ſuperiorem ſanctitate docet: quam utpote Matrem ſibi Dei Filius Thronum cælis ſublimiorem delegiſſet; Rhedamque cæleſtem Cherubicâ illâ longè ornatiſſimam comparaſſet. Concludit demum, Mariam decoris eſſe, & candoris formam, quæ omnem creaturarum decorem, & candorem longo poſt ſe relinquat intervallo; ex qua homines & Angeli, quantumvis ſanctitate candidi, & gratiâ decori, decorem atque candorem ſanctitatis, & gratiæ poſſint ediſcere.

S. Chryſoſt.

840 Præclarè etiam Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Hypapante: *Magnum*, inquit, *reverà hæc mundi miraculum eſt. Ecquid enim in rerum univerſitate queat hac majus, & ſublimius inveniri? Sola hæc cælum, & terram amplitudine ſuperavit. Quid enim illa ſanctius genitum aut creatum eſt* (τίς γὰρ ταύτης ἁγιότερα λέγοιεν) *non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim; non aliud denique quidpiam viſibile, aut inviſibile hac majus & ſublimius poteſt inveniri.* Quaſi dicat Chryſoſtomus: Diſquire diligenter per univerſas ab orbe condito ætates, repete prima illa univerſitatis primordia, Adamum & Evam; Angelorum originem recole; Thronorum, Dominationum, Cherubinorum, Seraphinorum ortum clariſſimum cogitatione relege; nullum inveneris quantacumque ſanctitatis nobilitate præditum, cujus origo cum hujuſce Virginis origine ſanctiſſima poſſit conferri; cujus creatio quantacumque illa ſanctitudine cumulata, cum hujuſce Virgineæ creationis ſanctimonia, ulla poſſit ex parte comparari. *Quid enim illa ſanctius genitum, aut creatum eſt?* Addo item aliud ejuſdem Chryſoſtomi teſtimonium in liturgia. *Verè dignum eſt glorificare te Deiparam, & ſemper beatiſſimam, & penitus immaculatam,* ſeu *incontaminatam, Matrem Dei noſtri; honoratiorem Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim.* Quorſum cùm penitus incontaminatam, ſemperque Beatiſſimam; id eſt, nullâ unquam culpâ infelicem, ſed ſanctitate ſemper feliciſſimam dixiſſet ad comparationem conſcendit Angelicam; niſi ut ipſam eâ ipſâ ſempiternâ felicitate, atque à culpæ omnis contaminatione immunitate longè ampliori dignam honore Cherubinis aſſereret; longè ſublimiori gloria excellentiorem Seraphinis affirmaret. Itaque Chryſoſtomus dilucidè Mariæ præſervationem Cherubicæ, ac Seraphicæ præſervationi prætulit.

Nihil Mariâ ſanctius genitum aut creatum.

S. Chryſoſt.

S. Anſel.

841 Adeſt jam locuples Mariæ teſtis Sanctus Anſelmus in lib. de exordio mundanæ ſalutis cap. 6. ubi ita egregiè: *Angelos, aliis peccantibus, à peccato ſervavit* (Sapientia Incarnata, de qua agit) *& fœminam Matrem ſuam futuram, ab aliorum peccatis* (Adæ & Evæ originali, & inde ortis actualibus) *exortem ſervare non potuit? In æternitate conſilii ſui fixum ſtatuit, eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum; & nunc, inferiori gratiâ, quàm Angelis, datâ, in conſortium conceptam eſſe hominum peccatorum crederemus? Exiſtimet hoc qui vult; argumontis ſuis probet qui vult; his, quæ diximus, adverſetur qui vult: ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ poſſe dici, quæ dixi, dico; quæ ſcripſi, non muto.* Duplici ex capite cauſam probat Anſelmus. Prima ex præſervatione Angelorum; & quidem cum epithaſi, qua expendit quodammodo difficiliorem fuiſſe Angelorum præſervationem, quàm Deiparæ; nam illorum voluntas præveniendа, compeſcenda, multoque auxilio communienda fuit, ne in aliorum prava raperetur exempla, ne in ſimilem prolaberetur ſuperbiam, & invidiam. At cùm peccatum originale à Parentibus derivetur, faciliùs fuit prohibere, ne Mariam infeciſſet. Alterum Anſelmi argumentum communiter expendi ſolet, quod ſcilicet dedeceret futuram Angelorum Reginam ignobiliorem Angelis eſſe & haberi. Inde concludit: *Nihil, Domina tibi æquale, nihil comparabile. Omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut infra te; quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te eſt, omne quòd Deus non eſt. Ad tantam itaque excellentiam quis aſpiret? quis attingat? Et certè ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo, hoc eſt in utero Matris tuæ originabaris. Quod ſi tali modo concepta, & ordinata non fuiſſes, in tantam celſitudinem non ſuccreviſſes.* Illud hîc non prætereundum, quod ait Anſelmus; B. Virginem *in humillimo* originem ſumpſiſſe illius dignitatis, qua ſuperior omnibus Angelis evadit. Signanter id dictum, ubi Angelis Mariam conferebat; cùm enim tota Angelorum bonorum felicitas humilitate conſtiterit, ſicut reproborum infelicitas à ſuperbia duxit originem; oportuit eam, quæ omnibus Regina præcelleret, humilitate præcelluiſſe, ſanctitate & puritate.

Ex præſervatione Angelorum probat Mariæ præſervationem.

Dedeceret Angelorum Reginam ignobiliorem Angelis eſſe.

S. Anſel.

Porrò aliis SS. Patrum locutionibus, quia obvia, & obiter expenſa, ex ſingulariter præſcriptis, & verſatis, ſatis perſpicuè apparet Deiparam Virginem creaturis omnibus, vel ipſis etiam ſupremis Spiritibus, ſuperiorem eſſe, & priorem illis prioritate dignitatis, excellentiæ, ſanctitatis, & puritatis ab initio ſuæ creationis.

§. III.

Maria creaturis omnibus in decretis divinis antelata; quia illarum omnium principium, & reſtauratio, exemplar, & finis.

842 Celebris extat apud Philoſophos, & Theologos prioritas, quam vocant principii, cauſæ meritoriæ, exemplaris, & finalis. In hoc etiam ſenſu dicitur Maria *Primogenita ante omnem creaturam.* Singula expendamus. Atque in primis, bono quodam ſenſu appellari poteſt Deipara creaturarum omnium principium, atque adeò prior illis prioritate, & dignitate principii. Non tam ſolida, quàm arguta eſt interpretatio illorum

Geneſ. 1. 1.

Rerum principium non Chriſtus ſolùm ſed & Deipara quodammodo.

Galati.

verborum Geneſ. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Ubi nomine *principii* non ſolùm Dei Filius intelligitur, rerum omnium conditor, juxta ſummorum Patrum ſententiam; ſed etiam ejus Genitrix Deipara, in quæ & per quam condita extat, & perſtat univerſa mundi machina. Sic R. Anchelos in Gloſſa Chaldaica, cujus meminit Galatinus lib. 7. Arcanorum cap. 2. *Propter ſapientiam creavit Deus cælum & terram, hoc eſt, amore intemeratæ Virginis, quæ eſt mundi ſapientia.* Cùm autem particula Hebræa *be valeat* etiam *per*; perinde erit *in principio Deus cælum, & terram*, atque *Mariam*, tanquam per principium, condidit creaturam omnem. Quem ſenſum reddunt relata illa Proverb. 8. 22. verba, *Dominus poſſedit me; creavit, genuit, emit, redemit, dilexit me in initio viarum ſuarum.* LXX. *initium*, ſeu *principium viarum ſuarum ad opera ſua.* Quaſi B. Virgo: Me primam, ac præcipuam, poſt Filium, genuit, ac dilexit; per quam, quaſi per principium omnia moliretur. Rectè proinde S. Bonaventura in Pſalterio Virginis: *Diſpoſitione tuâ perſeverat Mundus, quem & tu cum Deo ab initio fundaſti.* Non longè diſſimili ratione, qua de Chriſto Domino, etiam ut homo eſt, ajebat Paulus ad Coloſ. 1. 24. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cælis, & in terra, viſibilia & inviſibilia. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Et fortè eò ſpectabat Sanctus Andreas Cretenſis ſuprà memoratus, cùm Deiparam appellavit *Primam naturam*, id eſt, primarium principium orbis univerſi, quem Maria cum Deo ab initio fundavit, & deorſum ruentē reparavit.

Prov. 8. 22.

S. Bonav.

ad Coloſ. 1. 24.

Deipara cum Filio eſt primarium totius univerſi principium.

843 Hinc Deipara primarium cum Filio totius univerſi *fundamentum* ſolet vocitari, cui incumbunt, quaſi principio, univerſæ creaturæ: niſi enim huic fundamento inniterentur, neque conditæ eſſent, neque in tantam molem aſſurgerent, neque poſt peccati ruinas reficerentur, ac reſtaurarentur. Propterea apud Salomonem Proverb. 8. 23. cùm de Terræ molitione futurus eſſet ſermo, conſultò præmittitur, & commendatur tum Chriſti, tum Mariæ Conceptio in decretis divinis antelata omnibus creaturis tanquam totius orbis centrum, baſis, fulcimentum, fundamentum, & principium. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret, &c.* LXX. vertunt; *ante ſæculum fundavit me.* Et quia inde ædificio firmitas, quam Orientales *præparationem* dicunt; quòd quæ firma ſint, rectè præparata eſſe ſoleant, virtit Chaldæus, *Dominus præparavit me.* Et Theodotion, *præparata ſum, conſtituta, præordinata.* Utique tanquam univerſi fundamentum, & principium, præparata eſt Maria, conſtituta, præordinata, mirâ prorſus firmitudine nunquam labefactanda, in ipſam peccati ruinam nunquam evolvenda, ut ſic ipſa Dei Mater unà cum Filio, creaturarum ruinas per peccatum inductas, reficeret, ac reſtauraret. Hac etiam de cauſa putaverim Deiparam à Zacharia cap. 4. 7. nuncupatum *lapidem primarium.* Pro *primarium*, eſt Hebraicè *ros*, quod ſignificat *caput, principatum, principium.* Unde vertat *lapidem illum illius principii.* Petra appellatur Maria, petra eximia, mundiſſimè educenda, & procreanda, tanquam primaria petra, lapis fundamentalis, & principium totius univerſi. Vide dicta ſuperiùs ad hoc Zachariæ teſtimonium à num. 233.

Prov. 8. 23.

Zachar. 4. 7. ראש

Lapis primarius capitis, ſeu principii Deipara.

844 Rurſus, de reſtauratione creaturarum omnium per Mariam nonnulla diximus ſuprà numero 930. & plura paſſim repereris apud Deiparæ Panegyriſtas. Unum præſertim conſulas Salazarium noſtrum ad caput 8. Proverbiorum, verſ. 19. & ad cap. 31. verſ. 29. numero ſuo 191. & in Opere de Conceptione c. 21.

Reſtauratio creaturarum per Mariam.

Deinde, Virginem Matrem nobiliſſimum creaturarum omnium exemplar extitiſſe, atque adeò priorem prioritate cauſæ exemplaris, breviter probo: Quia omnes omnium creaturarum perfectiones, & excellentiæ eminentiſſima quadam ratione in Deipara continentur; ejuſmodique perfectionibus, & excellentiis donantur creaturæ, quarum vel ſimilitudo, vel umbra aliqua præviſa fuerat in Maria electa, & prædeſtinata ante omnes alias creaturas. Hinc celebre illud Arnoldi Carnotenſis: *Maria creaturis conſtat omnibus: quidquid enim ſingulis diſtributor juſtus contulit, Matri adornandæ congeſſit.* Hinc etiam illa veterum Hebræorum traditio, cujus meminit Georgius Venetus in ſua mundi Harmonia, Cant. 1. tomo 5. cap. 7. *Inter Hebræorum arcana, hoc unum celeberrimum haberi, unam apud Deum eſſe primam omnium creaturarum, quæ reliquarum omnium perfectiones contineret, quam illi appellabant Mitraton*, id eſt, *principem facierum*: quod videlicet ſemper coram Deo extiterit, & poteſtas ei ſit reliquos ad Dei faciem, & conſpectum introducendi. Hæc utique Deipara Maria eſt: nam *Mariæ* nomen in eo *Mitraton* contineri putant; utrumque enim nomen conficit numerum nongentorum nonaginta novem. Et fortè ad hanc Principem facierum, creaturarum omnium perfectiones continentem, & eas in creaturas ipſas derivantem fit alluſio Prover. 8. 30. *Cum eo eram cuncta componens; &c.* LXX. vertunt, *Eram penes ipſum diſponens omnia.* Id eſt, Deo ipſius menti omnia per creationem componentis & diſpenſantis obverſabar, quaſi faciei illius princeps, prima, ſeu præcipua creatura, in quam ipſe intuebatur, tanquam in expreſſiſſimum quoddam exemplar, & typum creaturarum omnium, & creatarum perfectionum.

Deipara nobiliſſimum creaturarum exemplar, in quo omnes nobiliori modo continentur, atque adeò expers cujuſvis peccati.

Arnol. Carnot.

Georg. Venet.

Deipara Mitraton.

Prov. 8. 30.

845 Non hîc ſilentio premam Theologicam Theologi Pariſienſis Joannis Gerſonis ſententiam de Mariæ perfectionibus, quibus divinas exprimit ſignatim Ideas ſeu exemplaria. Sic ille in Tract. 4. ſuper *Magnificat*, Notula 1. littera E. ſcribit: *Et juxta Hierarchicam Dionyſii legem, continet eminenter omnem perfectionem creaturarum, tanquam inferiorum: ut jure dicatur Regina mundi, & Domina. Vis igitur brevi compendio Mariæ beatitudinem notam tibi fieri?* (de excellenti quadam viatricis Mariæ agit beatitudine) *Da ſibi per eminentiam quidquid in creaturis videris melius ipſum, quàm non ipſum: & ſi non formaliter, tamen eminenter; quamquam diſtanter à Deo.* Hæc Joannes doctiſſimè; ut Deiparam ſimillimam Dei imaginem exprimeret: in quem, ſimili loquendi formâ, quamcumque inperfectionem contulerint Theologi, ſimpliciter ſimplicem compellant cum Sanctis Anſelmo cap. 5. & 11. Proſologi, definiente perfectionem ſimpliciter ſimplicem eam eſſe, quæ *melior eſt ipſa, quàm*

Marianis perfectionibus exprimuntur divinæ ideæ, & exemplaria.

Gerſon.

Quæ ſit perfectio ſim-

pliciter ſim-plex.

non ipſa. Sicut igitur omnis hujuſmodi perfectio Deo, utpote perfectiſſimo exemplari, & abſolutiſſimæ Ideæ rerum omnium, concedenda eſt; ita Pariſienſis Cancellarius nullam hujuſmodi perfectionem Mariæ, utpote Deo quàm ſimillimæ, negandam exiſtimavit; ut quidquid Maria eſt, quidquid erit, adeò perfectum dicas, ut melius ſit ipſum, quàm non ipſum; ut nihil, inquam, Maria melius; imò ipſam omnibus creatis perfectionibus meliorem meritò pronunciaveris de Gerſonis ſententia: atque adeò primum, poſt Deum ipſum, & ejus Filium, exemplar creaturarum omnium nobiliſſimum, quarum perfectiones ipſa continet eminentiſſimâ ratione. Neque de ſolis perfectionibus naturalibus videtur loqui Gerſon, ſed de ſupernaturalibus ſignatim, gratiæ & gloriæ, quæ in Angelis & electis reſplendent; quibus omnis gratiæ, atque gloriæ exemplar extitit Virgo ipſa. Unde ex nonnullorum ſententia fateri oportet, originalem gratiam, qua Angeli, & primi noſtri Parentes fulſerunt, in Maria præfulſiſſe, & præluxiſſe; imò potiùs ab ipſa, tanquam ab exemplari in illos quodammodo fuiſſe tranſcriptam & tranſlatam.

Quidquid in Maria fuit, eſt, & erit, adeo perfectum dicendum, ut melius ſit ipſum quàm non ipſum.

846 Denique, Deiparam creaturarum omnium finem eſſe à Deo præfixum, multis poſſem evincere. Nec loquor de cauſa finali primaria & ultima; nam hæc extat Dei bonitas & gloria, ſed de ſecundaria & media, ſeu non ultima, divinæ tamen quàm ſimillima, & proximiore; qualis eſt Dei Genitrix Virgo, cujus bonitas tanta eſt, ut ob illam nuncupetur *imago bonitatis divinæ*, uti ſuprà obſervavimus. Subinde jam noviter forſam premo celebre pronuntiatum Sancti Andreæ Patriarchæ Conſtantinopolitani in 2. Hom. de Aſſumpt. B. Virg. Mariæ, quam hoc Hymno magnificè dilaudat. *Hic eſt finis teſtamentorum, quæ nobis fecit Deus. Hic eſt ſcopus, qui excogitatus fuit ante ſæcula. Hæ ſunt primitiæ communionis, & conjunctionis omnium genitoris Dei cum ſuo figmento.* Planâ ac plenâ ex intima Theologia ſumptâ ſententiâ, *Scopum ante ſæcula excogitatum* Deiparam compellat, in quam univerſæ creaturæ collineabant quæcumque ante omnem æternitatem edendæ cogitabantur. In hunc ſcopum, in hunc finem intentum conditorem dicit; quidquid cum hominibus paciſci diſponebat, quidquid divini in ſuis creaturis commercii cogitaret, Maria in primis cogitabatur. Haud remotâ hinc conſecutione conficias, Deiparam nullâ unquam peccati labe obturpatam dicendam. Etenim, ſi cùm primùm ſummus ille rerum omnium opifex pulcherrimam hanc univerſitatis molem extra ſuam naturam moliendi conſilium inivit, prima divinum illud conſilium occupavit Maria, quam cæteris creaturis tum mente præditis, tum rationis expertibus, tanquam finem optatiſſimum amandum, obtinendumque propoſuit, conſequens omnino eſt aſſerere eamdem B. Virginem Deiparam nullâ improbitatis nota fœdatam fuiſſe electam, ac creaturis propoſitam, in quam omnes, tanquam in finem, intenderent. Neque enim quis in finem feratur, niſi bonum, niſi honeſtum, niſi utile, niſi delectabile. At quænam in peccato honeſtas? quæ utilitas, quæ poſſit obiici, in quam contenderent creaturæ? Maximè cùm eodem ſimul conſilio & hunc creaturarum finem, Mariam nempe, deſtinaverit conditor,

Deipara creaturarum finis, & ſcopus, atque adeo immunis ab omni culpa.

S. Andre. Jeroſoly.

& intermedia, quibus obtinendus erat, peccatum ipſum permiſerit, quo homines obvoluti, Mariam impenſiùs optaviſſent, ejuſdem peccati detergendi opitulatricem, humanæque ſalutis per ſanctiſſimum Filium afferendæ unicam conciliatricem. Oportuit igitur peccati adverſariam, à peccato alienam extitiſſe; neque hoſti fœderatam, quæ adverſus hoſtem, cœli terræque votis auxiliatrix optabatur, atque expoſcebatur. Videor ſatis mentem Andreæ aperuiſſe, & rationem à fine deductam pro immaculato Virginis conceptu. Juvat rem totam confirmare, aſcitis aliis teſtimoniis.

847 Iterum rationis trutinæ mandanda illa Deiparæ verba apud Salomonem Prover. 8. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Vertas cum Sancto Epiphanio Hæreſi 96. & in Ancorato: *Dominus inſtar pulli excludit me.* Atqui veteres Aegyptios exiſtimaſſe, mundum univerſum inſtar ovi eſſe divino ore prodeuntis, ſuprà numero 627. ſtatuebamus. Juxta hæc, reor Salomonis eam eſſe mentem, dum inſtar pulli excluſam à Deo Dei Genitricem autumat; ut mundus hic ovo aſſimiletur, & eum ad finem conditus ſit, ut nobiliſſimus fœtus, Chriſtus nempe, & Maria, inſtar pulli ex ovi candidiori & mundiori ſubſtantia procrearentur. Ovum enim ad id factum, ut ex eo pullus excludatur: & ſicut albumen & vitellus in ovo ſunt, alterum quo pullus generetur, alterum quo nutriatur; ſic etiam orbis in eum finem conditus, ut in eo Chriſtus & Maria generentur, & educantur. Benè ergo tum Filius, tum etiam Mater, quaſi uno ore, de ſe annunciant: *Inſtar pulli excludit me.* Nempe inſtar pulli columbarum, ut Mariani & Dominici conceptus puritas & immunitas commendentur. Nam inſtar candidæ columbæ conceptam & progenitam Deiparam ſæpè diximus ſuprà à num. 151. & num. 625.

Prov. 8. 22.

Mundus inſtar ovi eo fine conditus ut nobiliſſimi pulli Chriſtus ac Deipara procrearentur.

848 Hùc etiam ſpectat Bernardi illius melliflui luculenta ſententia ex Sermone 1. in Canticum *Salve Regina. Propter hanc totus mundus factus eſt; & hæc gratiâ Dei plena eſt, & per hanc homo redemptus eſt, Verbum Dei caro factum eſt.* Quaſi dicat: Ideò Deipara totius univerſi, omniumque rerum conditarum finis & ſcopus eſt, quia per illam Deus homo factus, & mundi redemptio facta. Quid mirum ſi gratiâ plena fuerit, vel à ſuæ conceptionis momento? Sic cauſæ finalis ſibi rationem induet, quæ originariâ ſuâ bonitate, honeſtate, utilitate, & delectatione creaturas ad ſe alliciat, & rapiat: finis enim, auctore Philoſopho, eſt quid optimum, & in primis appetendum, ut qui mediis ſuam bonitatem, & appetibilitatem communicet: nihil autem eſt in hoc mundo, Deiparâ melius, poſt Chriſtum, atque adeò eam ejus finem, & quid optimum, quo nihil melius, eſſe fatendum. *Propter hanc totus mundus factus eſt.*

S. Bernar.

849 Enumera res omnes, quæ cælo, terrâ, marique continentur, omnia certè condita ſunt propter unam Dei Genitricem. Et quemadmodum quidquid agricolæ elaborant in arboribus ſerendis, colendiſque eſt ratione germinis & fructus; ad hunc quippe finem hauritur aqua, terra foditur, & ſtercoratur; ſic orbis univerſus ad inſtar arboris eſt, eo fine à Deo ſatus & cultus, ut ex illo procreetur Deipara tanquam

tanquam germen, & Chriſtus tanquam fructus. Sic Iſaias cap. 4. 2. *germen* Virginem Matrem appellavit; & Chriſtum *fructum terræ ſublimem.* Et Jeremias cap. 23. 5. Mariam Davidis proneptim vocat *David germen juſtum.* Hebraicè *ledavid* in dativo, id eſt, *Davidi* natum: unde fructus terræ ſublimis Chriſtus Dominus. Ratione igitur hujus germinis, & fructus extant quæcumque in hac univerſi arbore conſpiciuntur. Subinde non ſolùm Filii, ſed Matris etiam Deiparæ immunitatem concludas cum eodem Vate Iſaia cap. 11. 1. *Egredietur Virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Hebraicè, *& flos de radice ejus abundabit, multiplicabitur, fructificabit.* Virga ex Davidica ſtirpe Maria eſt, flos autem fructificans Chriſtus, ex communi Patrum expoſitione. Obſervavi ſuprà pro *egredietur* poni verbum Hebræum *iatſa*, quod Hebræis valet, *gignetur, producetur, principium capiet, concipietur puriſſimè.* Vertas etiam ex LXX. *Egredietur florida, ſeu producetur floreſcens virgo.* Quaſi dicat: In eum finem mundus conditus, ut radix Jeſſe eſſet unde virga ſeu germen Maria cum ſuo flore & fructu Jeſu, mundiſſima conciperetur, ut quid optimum; ut ſcopus, ad quem omnia retulit Deus, & propter quem orbis univerſus in ſuo eſſe perſtat. Hìc premenda Ruperti Abbatis verba, ex lib. 3. in Cantica, data ſuprà num. 219.

Eo fine conditus mundus ut radix Jeſſe eſſet, unde Virga Maria cum ſuo flore & fructu Ieſu.

Iſai. 11. 1.

250 Nec prætereunda pulcherrima S. Maximi Ambroſio coævi ſententia in Sermone de Aſſumptione, cujus initium eſt, *Cùm aliquid dilectiſſimi*, ſic ille: *Ductor mortis diabolus, per cujus invidiam mors introivit in orbem terrarum, omne humanum genus in primo Parente veneno nequitiæ ſuæ potavit, quaſi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiavit. Inde eſt quòd radix vitiata quotidie frondet, frondeſque ejus indeſinenter per mortem marceſcunt. Sed ſæpè contingit, quòd aurum fulgens reperiatur in luto, & ex pungente ſpina pulchrè rubens oriatur Roſa. Hoc enim operante Providentiâ divinâ ex radice vitiata ſine vitio prodiit Virga, quæ intelligitur Beata Virgo Maria, atteſtante Iſaia, qui dicit: Egredietur virga de radice Jeſſe, &c.* Sapienter admodum omne genus humanum arbori aſſimilavit: Cùm autem Diabolus præſentiret, in eum finem plantatam hanc arborem, ut ex illa prodiret Dei Genitrix, quaſi *germen Domini in magnificentia & gloria*; & quaſi *germen David juſtum*, puriſſimè in ſanctitate & juſtitia producenda, ut ſic floſculus JESUS ex ea aſcenderet, & fructificaret: ne tantus finis, ut quid optimum, obtineretur, arborem in radice vitiavit per originale delictum; in Adamo nempe, primo humani generis capite, quem Deus in Paradiſo poſuerat, *ut operaretur, & cuſtodiret illum*; nimirum Adam qui radix erat, & quem cuſtodivit, voluitque altas agere radices, ut ex eo Maria, tanquam *germen*, & Chriſtus ut *fructus* prodirent. Sed quid, quæſo, ſic radice vitiatâ, tandem evenit? Finiſnè conſecutio, in quem Deus omnia referebat, fixitque obtutum in prima univerſi conditione, omnino fruſtrata? Neutiquam certè; nam *operante Providentiâ divinâ, ex radice vitiata ſine vitio prodiit Virga Beatiſſima Virgo Maria*, atque ex illa flos fructificans, & fructus terræ ſublimis Chriſtus Jeſus. Atque ita ſapienter operata eſt Dei Providentia, ut peccatum

S. Maxi.

Omne genus humanum inſtar arboris, ut ex ea prodirent Ieſus & Deipara.

Iſai. 2. 4.

Geneſ. 2. 15.

ipſum, quo vitiata radix eſt, intermedium quoddam fuerit ad ipſam deſtinati finis conſecutionem.

851 Hinc illud eſt, quod cùm juſtè poſſet Deus, propter primi Parentis peccatum magnum & multiplex, humanum genus perdere, & orbem univerſum ad nihilum redigere; voluit tamen, ad deſtinati & præſcripti finis proſecutionem conſervare & propagare: ut videlicet Virgo Deipara unà cum prole ſua progigneretur, & ab Angelis & hominibus coleretur. Audiendus S. Bernardinus in Sermone 61. *Maria ſola per multa millia annorum, antequam naſceretur, primò & principaliter Adam & Evam, & totam ejus poſteritatem præſervavit in eſſe. Conſtat nempe, quòd ex propria transgreſſione Adam, & Eva, non ſolùm mortem, ſed & annihilationis exterminium meruerunt, & divina ultio, quæ perſonarum acceptionem ignorat, ſicut nec culpam Angelicam, ſic neque humanam dimiſiſſet impunem: ſed propter præcipuam reverentiam, & ſingulariſſimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, præſervavit.* Pergit deinde Bernardinus ſatis benè, etſi fusè. *Propter iſtam nobilem creaturam Deus ſalvavit Parentes primos de prima eorum tranſgreſſione, Noë de diluvio inundante; Abraham de ſede Regis Chodorlaomor; Iſaac de Iſmaele; Jacob de Eſau; Judaicum populum de Aegypto, & de impia Pharaonis manu, & de mari rubro, de vitulo in deſerto, de manibus diverſorum Regum, & Tyrannorum. Et ut brevi ſermone comprehendam, omnes liberationes & indulgentias factas in veteri teſtamento, non ambigo Deum feciſſe ſolùm propter hujus benedictæ puellæ reverentiam, & amorem, quibus eam Deus in ſuam prædeſtinationem præhonorandam cunctis operibus ſuis ab æterno præordinavit.* Tantum Bernardinus. Ut appareat quàm impensè Deus optimus Maximus in Virginem Matrem ſuam, tanquam in finem, ad quem omnia referebat, divinum ſuum defixerit obtutum.

Propter Mariam naſcituram noluit Deus Mundum perdere poſt peccatum.

S. Bernar.

Moralis illuſtratio.

SECTIO XXVI.

Os ſapientis, theſaurus ſapientiæ eſt; à quo nihil non pretioſum, divinum, & ſacrum.

852 DUm Pater æternus os ſuum reſeraſſe dicitur, non niſi ſapientiæ theſaurum effudit; nihil non pretioſum, divinum, & Sacrum ex illius ore prodiit: ipſa nempe Dei Sapientia perſonalis, Verbum ipſum divinum, ſive quà Deus, ſive quà homo eſt; *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Ad Coloſſenſ. 2. 3. Hoc enim illud eſt, quod de ſe annunciat: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, &c.* Ut videlicet Sapiens quiſque interim admoneatur, os illius theſaurum ſapientiæ eſſe, à quo, quoties ad loquendum aperiatur, non niſi pretioſus, divinus, & ſacer ſermo effundi, audirique fas ſit. Proverb. 21. 20. ſic loquitur Rex Pacificus: *Theſaurus deſiderabilis requieſcit ſuper os ſapientis*, juxta LXX. Interptetum tranſlationem. *Theſaurum* appellat multa divinæ ſapientiæ arcana, *Theſauri* ad inſtar in tuto pectoris repoſita, ſuo tempore effundenda ore reſerato; ex quo nihil, quod vile, & abjectum ſit; nihil, quod pretioſum, & ſublime; ſacrum, ac divinum non

Deus dum os ſuum reſerat, non niſi Sapientiæ theſaurum effundit.

Ad Coloſ. 2. 3.

Ita & ſapiens quiſque.

Prov. 21. 20.